

v.1 Quae tam foeda lues, graciles delapsa per artus,  
 2 ambustos lacerat nervos ? Quae tam impia diris  
 3 vis inimica mali populatur viscera flammis  
 4 marcentesque bibit venas avidoque, pavendum,  
 5 igne liquefactas sorbet furiosa medullas ?  
 6 An mihi Tartareum misera in praecordia virus  
 7 Eumenides Stygiamque facem et, crudele, virentes  
 8 oris Cerberei spumas rabiemque Chimaerae  
 9 afflarunt ? Totum videor gestare sub alvo  
 10 Vesbion aut fessos Volcani incude caminos  
 11 et Phlegetontaeae glomerata incendia ripae.  
 12 Cor salit, ardentem strident sub pectore fibrae,  
 13 aret hiulca sitis, putridum vesana cruorem  
 14 est rabies, siccoque in gutture febris hanelat  
 15 exesas depasta genas, suffectaque tabo  
 16 gliscit laxa cutis ; rubor igneus excitat orbem  
 17 sanguineos, fugiunt oculi, squalentia pallor  
 18 ora vorat, titubant gressus, genua aegra fatiscunt  
 19 Ossaque, me miserum, vix summam tabida pellem  
 20 informant. Pro saeve dolor metuendaque pestis,  
 21 pro facies infanda mali ! Maculosa cruentis  
 22 horrent membra notis ; humeros, colla, ora, lacertos,  
 23 pectus, terga, latus, clunes, ventrem, inguina, suras  
 24 occupat una lues ; totum est in vulnere corpus,  
 25 corpore de toto sanies fluit albida, crassus  
 26 stillat ubique cruor : requies non ulla laborum.  
 27 Non medicae fomenta manus, non tristia prosunt  
 28 pocula et epoti numeroso e gramine succi,  
 29 unguinaque et lacrimae terebinthi et sulfura viva,  
 30 argenti spumae cinerisque immixtus acervo  
 31 conspersusque in membra latex fluviive propinqui  
 32 lymphata natata diu, nepetae malvaeque virentes,  
 33 et fumus terrae et gelido sal fusus aceto  
 34 milleque jam fessis medicamina condita ahenis.  
 35 Ipsa Machaoniae trepidant ad munera curae,  
 36 ipse mihi Chiron genitusque Amythaone vates,  
 37 ipse mihi, artis inops, Epidaurius astupet anguis  
 38 Coryciaque pater qui fatum mugit in umbra,  
 39 claraque Paeoniae titubat solertia dextrae.  
 40 Seu nox astrigero coelum subtexit amictu,  
 41 sive diem reteggit Nabataeo a litore Titan,  
 42 consumpta irriguis exundat fletibus ora  
 43 semper et assiduo singultant ilia pulsu :

44 non licet in dulcem summittere lumina somnum.  
 45 Pocula non sapiunt, non si mihi nectaris imbrem  
 46 Sangarius puer aut Junonia porrigat Hebe.  
 47 Si mihi Mopsopias amor est exsugere ceras  
 48 Coryciumve favum aut quem florea parturit Hybla,  
 49 omnia Cyrneas spirant alvearia taxos ;  
 50 siquis harundineos quot habet pastoria Zancle  
 51 apponat succos, haeret sapor omnibus idem,  
 52 abrotonosque graves et dira absinthia credas.  
 53 Jam vero quae tum facies, qum personat intus  
 54 ignis edax ? Furor est artus laniare cruentis  
 55 unguibus aut rabidos torquere in viscera morsus :  
 56 sanguineas putrido divellit corpore crustas  
 57 una manus penitusque artus scrutatur hiantes  
 58 exuviasque rapit nervorum et detegit ossa.  
 59 Tum sanies obscaena natat, rigat uvida marcens  
 60 membra fluor, scabros tabes crudeliter ungues  
 61 polluit, illotus scatet atro in corpore sudor.  
 62 Quin etiam ad numeros (pro scaevum et grande doloris  
 63 ingenium ! ), ad numeros juvat asprum avellere corpus  
 64 et spoliare artus penitusque immergere venis  
 65 crudeles digitos : tum dirum murmur et atrox  
 66 prosequitur fremor, ac rabie confusa voluptas  
 67 concordem digitis gemitum laniantibus effert ;  
 68 tum laxas nares, tum dentem dente videres  
 69 attritum exacui pressasque infrendere malas  
 70 suspendique genas ac nasum cogere rugas  
 71 liventem et totam demitti in lumina frontem,  
 72 Sardonioque putes risu deducere rictum.  
 73 Non secus, Icarii quotiens juba fulgurat astri,  
 74 cernimus in triviis villosum saepe molossum  
 75 nunc pede, nunc rostro, tremulae nunc verbere caudae  
 76 pellentem obscaenas furiali murmure muscas  
 77 aut pulicis dentem aut praegnantem sanguine taetro  
 78 tabanum et morsus frustra intentare crepantes.  
 79 Si tamen arentes vulnus conduxerit oras  
 80 spemque animo dederit sacrum expugnare veternum,  
 81 nulla fides : nostro subeunt in corpore obusto  
 82 Continuo ardentes papulae recidivaque pestis  
 83 pullulat heredemque sibi moribunda cicatrix  
 84 parturit. Ampulant foedae per marcida bullae  
 85 membra, putri sanie distentae et sanguine crasso  
 86 proluviem expletas ventris ; perit impia mater  
 87 suppliciiis fecunda meis semperque novatur  
 88 pestis acerba. Mali misero finisque doloris  
 89 ultimus, aerumnae gradus est et origo futura :  
 90 qualis Oronteo phoenix longaevus in orbe,  
 91 dura renascentis repetens cunabula vitae,  
 92 ut casiae gramen nardique accendit aristas  
 93 cynnamaeque et costi segetem glebasque Sabaeum  
 94 ac myrrhae lacrimas et divitis uber amomi,  
 95 incubat ipsa super flammis viridemque juventam  
 96 morte sua redimit seque ipsa reseminat ales.  
 97 Verum ubi jam lentus papulae maturuit humor,  
 98 protinus ulcus hiat fluidoque infecta veneno  
 99 squalentem tunicam, foedum et miserabile visu,  
 100 sorbet hiulca cutis membrisque affixa cruentis,

101 qua trahitur parcente manu, secum illita vestis  
102 viscera tota trahit, totos rapit impia nervos  
103 et tenui omento crepitantia dedolat ossa.  
104 Hic vero non jam gemitus, non murmure mixtae  
105 proveniunt lacrimae : pavidas it stridor ad auras  
106 terrificus totosque alto clamore penates  
107 efferus incendit dolor et furialis hanelo  
108 vox pulmone sonat ; tum quo vocat impetus, illuc  
109 auferor ac memet fugiens nemora avia lustro,  
110 fortior ad rabiem, rapto velut enthea thyrso  
111 Thyas, ubi Ismarius trieterida suscitatur Evan,  
112 rupibus Edoniis furit aeternumque nivalem  
113 Othryn et arctois Pangaea exusta pruinis  
114 pellegit ac Getico sulcatum Strymona plaustro,  
115 nebride picta sinus Boreaeque frementis hiatu  
116 indociles dispersa comas, simul "Euchyion, euhoe ! ",  
117 "Euchyion ! " ingeminat tortoque effulgurat angui.  
118 Quin etiam horrendum ac dictu mirabile monstrum  
119 ingenerat cutis, humanus cui pabula sanguis,  
120 cui latebrae perfossus homo, tepidumque cruorem  
121 innatat et vivo depascier hospite gaudet.  
122 "Pellegenam" appellant : non ille aut prodigus artus  
123 aut faciem ferus aut crassam porrectus in alvum,  
124 sed spatii exiguus. Liceat vix pelle latentem  
125 tangere acu, vix pugnaci deprendere visu  
126 carnificem immersum tabo vitiataque morsu  
127 frustra eruptantem et saniem rabido ore vomentem.  
128 Quantaque ad aestivi passim spiracula solis  
129 ludere lascivo temeraria corpora motu  
130 saepe vides, aut quanta sui fert semina mundi  
131 ridiculus per inane senex, qui mente capaci  
132 innumeros perimit reparatque ab origine soles  
133 et putat infantem semper consurgere Phoebum,  
134 tantus membra patet, tanta est mensura superbi  
135 hostis ; at in magno vix unquam larga nocendi  
136 corpore tam saevam rabiem natura locavit.  
137 Siquem accensa siti dipsas calcata momordit  
138 aut seps tabificus crescensve in guttura prester  
139 Marmaricive furor jaculi atque haemorrhoids ingens,  
140 siquem Cinyphia stravit basiliscus harena  
141 purpureo horrificam rutilans diademate frontem,  
142 non tamen improprie truncant immitia Parcae  
143 vellera, non gemitum surda Mors exigit aure,  
144 non lacrimas ridet, sed Fatum in vulnera praeceps  
145 succidit virides properanti falce dolores.  
146 Hic ferus exiguo parcat vitalia dente  
147 carpere, non tacito temerat praecordia rictu,  
148 non arcem invadit cerebri cordisve recessus  
149 pertentat, sed prima ferox in viscera lentum  
150 serpit et infando terebrat conamine pellem.  
151 Quacumque ingreditur, morsu, exitiale, cruento  
152 perfurit et rutilum describit sanguine campum,  
153 defodit in summo latebrosa cubilia dente,  
154 itque reditque frequens scatebris longumque cavernas  
155 perforat ac rubro distinguit pectora sulco :  
156 sic Tartessiacy scrutator pallidus auri,  
157 sponte diem fugiens ac picti sidera mundi,

158 reptat arenivago terrena in viscera lapsu,  
159 arcanis inhians opibus, causasque malorum  
160 elicit ad superos ; tacito sic tramite novit  
161 haud expectatos inferre cuniculus hostes  
162 aggeribus tutis turritae aut moenibus urbis ;  
163 sic humeros jaculis bicoloribus horridus hystrix  
164 callidaque invalidis metuens vulpecula natis  
165 multicavas fodere domos aut scrupea subter  
166 saxa aut praecipiti sub rupe, ubi maxima quercus  
167 rugosis alte radicibus hispida findit  
168 terga jugi ramisque errantibus implicat umbras :  
169 atque adeo exigui quanquam patet orbita passus,  
170 haud tamen est oculo vestigia certa sequaci  
171 prendere ; sic tecta fallax ambage retexit  
172 errabundus iter diversosque impedit orbis  
173 callidus et caeco contundit tramite sulcos,  
174 ut labyrinthum, Minoia limina, tectum  
175 fraude loci dubia tacitisque amfractibus olim  
176 Cecropiae struxere manus, flexuque recurvo  
177 multifidum seclausit iter Discordia, gyris  
178 confundens spatia, atque insertos orbibus orbis  
179 implicuit Dolus et inextricabilis Error.  
180 Si vero infandae numeros aut nomina gentis  
181 percensere velis, vix tantus vere rubenti  
182 muscarum quondam populus mulctraria circum  
183 involitat stabulis, tenuique proboscide grandes  
184 diripiunt gutas ac lactea murmure rauco  
185 obscaenae volucres huc illuc pocula raptant ;  
186 vix, ubi flaventes jam surrigit area messes,  
187 tam multae erumpunt caveis sudataque longum  
188 formicae ancipiti populantur forcipe farra :  
189 jamque attrita diu crebro pede gramina signans,  
190 terrigena ingreditur legio, repetitaque genti  
191 graniferae innumero describitur orbita passu ;  
192 instat nigra cohors operi : pars dura fatigat  
193 agmina, pars tremulis adnutans cornibus ultro  
194 itque reditque frequens ; haec magnum versat acervum  
195 praedatrix, haec immodico sub pectore sudat,  
196 astruit illa domi fruges atque horrea complet.  
197 Hunc Stygiae numerum gentis rabiemque feracis  
198 exstimulat populi foedo rex impius ore  
199 lycobrotus, quo non sordentem gnavior alter  
200 expleri ingluviem aut obscaenum lambere lingua  
201 mucorem ; miserumque, nefas, Cocytia quondam  
202 Helcomedusa fero peperit regina Cybistrae.  
203 Non illo quisquam fuit atrum innare cruorem  
204 doctior aut illa contractum extendere morsu  
205 ulceris os, sed enim furias praegressa parentum,  
206 impietas nati tantum scelere imminet illis,  
207 Pelea magnanimus quantum superabat Achilles.  
208 At regem, insane feritatis laude superbus,  
209 consequitur, vivas haud segnis rodere carnes,  
210 sarcophagus, semperque cavis habitare sub antris,  
211 audax Troglodytes, exturbatorque soporis  
212 Hypnophobus, teretes et Dactylotrocus acuto  
213 dente cavans digitos, cumque illis sanguine largo  
214 ebrius Haemopion, nec non Cheroglyphus omnem

215 consuetus terebrare manum, capitisque nigrescens  
 216 texta Melancoryphus, residemque immobilis alvum  
 217 scalpa manu rabida Lichenor vulnera lingens.  
 218 Dipsada quid memorem ? Quid Oryctona Leucochroonque  
 219 Apodaque et Phlebem, cumque Helcodamante Philagon,  
 220 Baellamque Ulonomonque, Palirroon Eurybatemque,  
 221 quotque alii nostro pinguescunt sanguine fratres ?  
 222 Promptius expediam Boreas quot frigore frondes  
 223 decuit arboribus, quot se formosior annus  
 224 induit in flores, refugo quot lambit harenas  
 225 Oceanus ponto lunaribus incrementis.  
 226 Ergo ego tot Stygio portenta excita barathro  
 227 corpore fixa gero, nec dum puro aethere cassus,  
 228 diripienda feris trado mea viscera monstris  
 229 moturusque hosti lacrimas ; en oblita, dirum,  
 230 pectora, semilacer, totos en pervius artus,  
 231 mille patens plagis, en cunctis hospita morbis  
 232 membra trahens, aegris obtundens questibus auras,  
 233 invisus superis, vitam lucemque perosus,  
 234 vivo tamen, nec te pietas, Mors impia, nostri  
 235 ulla subit, surdas precibus sic obstruis aures :  
 236 Siccine ahena mihi duxistis vellera, Parcae ?  
 237 Vos, o, vos fidi quondam et mea turba sodales,  
 238 huc huc adventate, meos excindite luctus ;  
 239 ite, animam invisam, pietas haec maxima, ad umbras  
 240 trudite Tartareas Ereboque hoc reddite monstrum.  
 241 Heu mihi, quod saevi fugiunt contagia morbi  
 242 egregii comites (sic, o sic, maxime, visum,  
 243 Juppiter ! ), attactumque pavent et acerba tuentes  
 244 prospiciunt vivum haud segura fronte cadaver.  
 245 Ille ego sum, o socii, quanquam ora animosque priores  
 246 Fortuna eripuit, qui quondam heroa canendo  
 247 proelia et exhaustos Rhoeteo in Marte labores,  
 248 ibam altum spirans ; quique olim immania bella  
 249 Cosmiadae Etruscis aggressus credere Musis,  
 250 cantabam patulo quantum sese aequore ferret  
 251 Julius armipotens, cum suspiratus amanti  
 252 (ah nimium ! ) Nymphae, ferratos durus in hostes  
 253 ingrueret sublime volans, claususque minaci  
 254 casside et undantem, flammis thoraca coruscoque  
 255 umbonem Phoebos radiatus, Iapige campum  
 256 persultarit equo, ac tota cervice superstans,  
 257 arma, viros victor subversa que quadrupedantum  
 258 pectora pulvereis trifida trabe funderet arvis,  
 259 altaque magnanimi vel bello exempla secutus  
 260 fratris, Olympiaco juvenilia tempora ramo  
 261 cinxit et aeternum peperit sibi Marte triumphum.  
 262 Haec quondam memorata mihi, nunc dira canenti  
 263 pallida Tartareis, metuendum, assibilat hydrys  
 264 Eumenis, umbriferique allatrat janitor antri.  
 265 Guttura triste sonant, numeri feralis gemiscunt ;  
 266 ipsa, meis stupefacta malis, lacrimabile carmen  
 267 dat chelys et dominum delamentatur ademptum ;  
 268 sponte sua nexae circum mea tempora victae  
 269 Puniceum Stygia variant ferrugine textum,  
 270 sponte cadunt lauri ac spoliatum frontis honorem,  
 271 coniferae subeunt, feralia sarta, cupressi.

272 Ipse altum attolli nostro quoque carmine nomen  
 273 passus et ambabus gaudens consurgere linguis,  
 274 cessantem torvo me lumine terret Achilles,  
 275 impendique suis cupiens solatia dannis  
 276 et vaga Romuleo subniti ad sidera cantu,  
 277 Troja pios iterat questus residemque canendi  
 278 vexat et Ausonium reddi sibi poscit Homerum.  
 279 Stant circum attonitae, vatium pia numina, Musae :  
 280 haec longas neglecta comas, haec pectine vincta  
 281 inter se digitos genibus, caput illa silenti  
 282 fulta lyra, palmis haec ora excepta supinis,  
 283 semianimemque pavent oculis agnoscere alumnum,  
 284 nec digitis nec voce, mei solacia luctus,  
 285 intempesta canunt. Quid enim modulamina surdis  
 286 auribus aut rigido studeant detrudere cordi ?  
 287 Ocius Euripi refluxum mare Carpathiasque  
 288 placarent hyemes tremefactaque litora denso  
 289 verbere, raucisonis qua fluctibus adsilit Aegon ;  
 290 somniferam prius octipedis sub sidere Cancri  
 291 aspida et orbatam mulcerent carmine tigrem.  
 292 Neve super miseri quisquam sit sanguinis insons,  
 293 tu quoque te nostro, sic Parcae stamina versant,  
 294 subtrahis aspectu, requies o sola laborum,  
 295 o mihi plus superis dilecte, o magne, virentis  
 296 spes una Etruriae, Laurens, quo florida tellus  
 297 et nato genitrix et filia patre superbit,  
 298 pectore qui dubium validisne potentior armis,  
 299 Palladium praefers gladio Mavortis olivam,  
 300 jusque piumque refers, vix undis cedere passus  
 301 Apenninigenam cognati Thybridis Arnum,  
 302 aeternumque nova titulum virtute propagas  
 303 Riphaeum ad Boream Libyae sitientis ab Austro,  
 304 qua fessum Titana fovet Maurusia Tethys  
 305 gurgite Atlanteo, nitidae qua praevia luci  
 306 roscida nocturnos abigit Pallantias ignes.  
 307 Nempe tuos vultus, genitor, tuaque ora videndo,  
 308 ipse ego Caucaseas seducta mente catenas  
 309 Iapetionidae intrepidus, colloque minantem  
 310 Tantaleo silicem atque Ephyrei immania regis  
 311 pondera, quenque ferox flammato pectore montem  
 312 concutit Alcyoneus Phlegraeaeque fulgura ferrem.  
 313 Utque, Paraetonio sinuosum attollitur Austro  
 314 cum mare caeruleum ac torta vertigine fluctus  
 315 saxa subesa ferit spumisque sonantibus albens  
 316 aestuat et bibulas aspergine tingit harenas,  
 317 si placidum ponto caput exerat aequoreus rex,  
 318 mox rauci cadit ira freti cumulique minaces  
 319 sternuntur, pulsae nubesque hyemesque recedunt  
 320 et pavefacta silent animosi murmura venti :  
 321 sic, ubi turbineo luctusque dolorque furorque  
 322 pectore bacchantur totoque in corde superbit  
 323 tempestas effrena animi, si cominus adsis  
 324 sidereo radians vultu, procul exulat omnis  
 325 tristitia ac tumidam mulcent placida ocia mentem.  
 326 Quare, age, seu doctas, Neleia moenia, Pisas  
 327 pandis Hyanteis, pater o dulcissime, nymphis,  
 328 sive triumphatas Volaterrae substruis arces

329 indocilemque diu populum obluctantia cogis  
330 subdere colla jugo atque animos contundere inanes ;  
331 seu mage te gelidi subter querceta Mugelli  
332 dulcia Bistonio modulantem carmina plectro  
333 populifer Sevis et Garsa piscosa fluenta  
334 mirantur tacite ; seu te Florentia laeto,  
335 undique purpurei turba coeunte senatus,  
336 ore videt reducem caligantesque serenat,  
337 adventu gratata, oculos praeductaque fronti  
338 nubila dispellit natumque patremque salutat.  
339 Quicquid agis, quocumque solo pulcherrimus alta  
340 majestate nites, si non tamen excidit omnis  
341 cura mei, siqua est priscae pietatis imago,  
342 si meritis haud digna fero, per sidera coeli,  
343 per faciles superos, per spes florentis alumni  
344 successusque tuos, oro : miserere laborum  
345 tantorum, pelle agrestis hoc pectore morbos,  
346 ac praesens me redde mihi vitamque labantem  
347 suscipe et ejectam sancto refer ore salutem.  
348 Arbiter ipse deum, tonitru qui concutit orbem,  
349 quem coelum, quem terra tremunt, quem pontus et aerae,  
350 qui lucem noctemque regit, contraria torquet  
351 sidera sideribus, volucresque hominesque ferasque  
352 et genus aequoreum dias in luminis oras  
353 evocat, omnipotens et numine cuncta gubernans  
354 plena suo, si sollicitas fors attigit aures  
355 unius vox maesta viri, qui dulcia vota  
356 nuncupet imploretque Jovem, non ardua rerum  
357 impediunt mundique vices, quin obvius ille  
358 supplicibus veniat, placidusque optata secundet.